

**Species intelligibilis.** Species intelligibilis idem est quod *idea*, i. e. forma alicujus rei, praeter ipsam rem existens in mente, cujus cognoscendae principium est. Abstrahitur a phantasmate per *intellectum agentem*.

**APPETITUS.** Inclinator rei et ordo ad aliquam rem sibi convenientem (S. Th.). Dividitur appetitus :

|           |   |                  |   |                 |
|-----------|---|------------------|---|-----------------|
| Appetitus | { | naturalis        | { | concupiscibilis |
|           |   | sensitivus . . . |   | irascibilis     |
|           |   | intellectivus    |   |                 |

**Appetitus sensitivus.** Potentia qua ens aliquod inclinatur ad bonum, sensu apprehensum.

**Appetitus intellectivus.** Potentia qua ens rationale inclinatur ad bonum ratione apprehensum. Appetitus intellectivus est ipsa voluntas.

**Appetitus concupiscibilis et irascibilis.** Nos non solum inclinamur ad consequenda ea, quae ut convenientia apprehendimus, et ad refugienda nociva, sed etiam ad propulsanda ea quae aut convenientia impediunt aut nociva inferunt. Appetitus, quatenus fertur in bonum vel malum *simpliciter* sumptum, dicitur *concupiscibilis* ; quatenus autem fertur in bonum vel malum ut *arduum*, dicitur *irascibilis*, quia nempe ira inardescit contra causas quae fortiter impediunt boni consequutionem, vel malum inferunt. Ita victoria est bonum appetitus concupiscibilis ; *arduas* vero victoriae ab inimicis causata est objectum irascibilis.

**Passiones.** Motus appetitivae partis sensibilis, ortus ex apprehensione boni vel mali. Appetitus concupiscibilis sex passiones sunt, nempe : Amor et odium, desiderium et fuga, gaudium (voluptas, delectatio) et tristitia. Appetitus irascibilis quinque : Spes et desperatio, audacia et timor, ira.